



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 2. De obligatione orta mediata ex Contractu, immediata ex culpa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

stos Doctores à creditore præmoneri de illo damno; tunc enim debitor fortasse vel solvisset debitum, vel aliâ viâ providisset, ne creditor illud damnum subiret. Ita Azor Tom. 3. lib. 5. cap. 4. de usuris quæst. 3. cum Angelo, & aliis, quod satis probabile censet Lugo. Cæterum alii plures negant necessariam esse præmonitionem, ut obligetur debitor etiam ad interesse extraordinarium; quia licet non præmoneatur, verè fuit causa ejus damni, ac proinde injuria ipsa obligat ad totum damnum, quod ex illa sequitur. Hoc mihi probabilius apparet, licet oppositum sit etiam probabile.

SECTIO II.

De obligatione orta mediata ex Contractu, immediata ex culpa.

835. Suppono 1. tres dispositiones haberi circa hæc in Jure Civili. Prima est: quando contractus tantum est in utilitatem accipientis, quale est commodatum, obligatur accipiens restituere, ex quacunque sua culpa, seu ex lata, sive levi, sive levissima res accepta pereat; non verò si merè fortuito absque omni prorsus culpa pereat. Patet ex L. *Divus ff. de officio Præsidis*. Excipitur precarium, quod contingit, quando aliquid tibi conceditur sub onere, ut ad nutum concedentis restituatur: ad hoc enim restituendum solum obligaris, si ex dolo, vel lata culpa tua res pereat; non autem, si pereat ex levi, vel levissima. Patet ex L. *contractus, ff. de regulis juris*, & ex L. *quæsitum, ff. de precario*.
836. Secunda dispositio est: quando contractus est in utilitatem solius dantis, recipiens tenetur duntaxat ex dolo, vel lata culpa, ut si quis apud te suas pecunias, vel suum librum sine tuo commo deponat; tunc si ea pereat absque dolo tuo, vel culpa lata, quamvis interveniat culpa levis, vel levissima, non obligaris restituere. Patet ex L. *si ut certo s. interdum, ff. commodatum*. Tertia juris dispositio est, quando contractus est in utilitate utriusque, dantis scilicet, & accipientis, ut quando domus, vel equus locatur tanto pretio: tunc enim recipiens tenetur restituere ex dolo, vel lata culpa, atque etiam ex levi; non autem ex levissima. Ita expressè L. *contractus, ff. de regulis juris*.
837. Suppono 2. quæstionem hic esse, an hujusmodi legum dispositiones obligent, & servandæ sint in conscientia ante sententiam Judicis, an verò donec illa accedat, non obligent in foro conscientie ad restituendum prædicta, quando verè, & coram Deo non adfuit culpa gravis Theologica? Prima sententia tenet, tales legum dispositiones servandas esse in conscientia ante sententiam Judicis. Ita Azor, Molina, Navarrus, Lessius, Bonacina, & alii, quos

refert, & sequitur Fagundez lib. 7. de contractibus, cap. 1. Secunda sententia docet, prædictas legum dispositiones solum procedere in foro externo ad ferendum sententiam; in interno autem ante sententiam solum attendendum esse peccatum grave ad obligationem restituendi rem gravem sub culpa gravi, & in similibus eventibus culpam levem, vel levissimam juridicam, aut nullum esse peccatum in conscientia, aut solum esse veniale. Ita Sorus, Salas, Henriq. Ledesma, Sylvester, Joannes Andreas, Panormitanus, & Cardinalis de Lugo disp. 8. num. 116. tum etiam Tamburinus lib. 8. Traçt. 3. cap. 5.

Suppono 3. potuisse legis autoritate fieri, ut licet contractus ex natura sua hoc onus non afferant, à legibus tamen imponeretur tum propter bonum publicum, & pacem communem, tum ut contrahentes vigilantiores fierent in custodia rerum alienarum, tum ad evitandas fraudes, & delicta; sicut propter easdem rationes supra diximus, justè leges statuisse, ut solvantur damna illata à belluis, mancipiis, & domesticis etiam sine ulla culpa Domini. Insuper poruerunt leges in casu præfenti dupliciter hoc statuere. Primò per modum pœnæ legalis in foro externo, quoties aliqua culpa juridica in contractu intercederet, quæ pœna ante Judicis sententiam non deberetur. Secundò per modum pœnæ conventionalis, quam contrahentes pacto mutuo censentur sibi imponere, & ad eam se obligare eo ipso, quòd talem contractum celebrent, quam etiam penam non debent in foro conscientie ante sententiam, vel antequam exigatur, docent plures, quos sequitur Sanchez lib. 1. Traçt. de contract. resolut. 29. Tandem potuerunt leges hoc disponere non quidem per modum pœnæ, sed per modum obligationis immediate ad damnum in his casibus refarciendum, quasi per quamdam assecurationem, qua commodatarius accipit rem alienam in suam fidem, ut si non in casibus fortuitis, saltem in his, ubi ex aliqua sua culpa juridica res pereat, velit Domino salvam esse, & suo ipsius habentis damno perire. His positis

Affero cum secunda sententia. Defacto prædictæ legum dispositiones non obligant ante Judicis sententiam in foro conscientie, in quo contrahentes non obligantur graviter ad rem gravem, nisi ex culpa gravi Theologica coram DEO. Probat 1. Prædictæ legum dispositiones non obligant ex vi juris naturalis, & æquitatis servandæ in contrahentibus, neque ex peculiari dispositione juris positivi, neque ex voluntate, & intentione contrahentium se obligantium ad eas servandas; ergo ex nullo capite obligant in conscientia ante sententiam Judicis. Antecedens continet omnia capita, unde Authores primæ sententiæ deducunt, eam obligationem in conscientia, neque videntur aliud caput excogitabile, unde defacto ea obligatio possit oriri: idcirco antec. probandum est

est per partes. Prob. igitur prima pars: si ille, qui praedictos contractus celebrat in sui solius utilitatem, jure naturali tenetur de culpa levissima; & qui in utilitatem solius dantis, de sola culpa lata; & qui in utilitatem utriusque, de culpa lata, & levi, & non de levissima, ideo esset; quia aequitas naturalis postulat, ut majorem diligentiam ponat in re aliena custodienda, qui in sui solius utilitatem eam accipit, quam qui accipit in utilitatem utriusque, & majorem in eo, qui accipit in utilitatem utriusque, quam qui accipit in utilitatem solius dantis, ideoque si hic tenetur ex culpa lata jure naturae, alter tenetur ex culpa etiam levi, & ille prior etiam ex levissima; sed hoc est falsum, loquendo de culpa levi, & levissima in terminis formalibus: ergo &c.

840. Probatur min. Nemo in contractibus, etiam qui cedunt in utilitatem solius accipientis, existimat se magis obligatum, quam ad ponendam eam diligentiam in custodienda re aliena, quam quae poneretur ab ipso Domino, & quae generaliter ponitur ab omnibus diligentibus, & prudentibus in similibus contractibus; non autem, quae a diligentioribus, & diligentissimis: atqui ad ponendam illam diligentiam non est necesse, quod obligetur ad evitandam culpam levem, & levissimam; ergo. Confirmatur 1. Si jus naturale praecise consideretur, non est, cur vel depositarius, vel conductor teneatur non solum ex culpa lata, sed etiam levi; quando in sui utilitatem accipit depositum, v. g. quando stipendium accipit ob servandum depositum, & non tenetur sub levi famulus in rebus sui Domini custodiendis, tum etiam Judex, Medicus, Advocatus &c. quia sicut conductor, & depositarius accipit depositum in gratiam sui, & deponentis; ita famulus, Judex, Medicus, Advocatus locant operam suam in gratiam sui ob stipendium, quod recipit & in gratiam Domini &c. ergo si depositarius tenetur de levi, quando contractus est in gratiam utriusque, etiam famulus tenetur, atque jure naturae, de levi, utpote contrahentes in gratiam utriusque: quod tamen negant Authores primae sententiae; unde solum superest recursus ad jus positivum, quod ita statuit in praedictis contractibus; non vero in aliis ministeriis.

841. Confirmatur 2. Qui precario rem alienam accipit, solum tenetur de culpa lata, & dolo; non autem de levi, & levissima; ergo neque qui accipit commodatum, tenebitur. Probatur consequentia, quia tam in precario, quam in commodato accipitur res aliena in utilitatem accipientis; ergo jure naturae non est necessaria major diligentia in custodienda re in commodato, quam in precario; sed in precario non exigitur jure naturae major diligentia, quam quae communiter fit a diligentibus, non autem diligentioribus, vel diligentissimis; ergo neque in commodato. Quare si major diligentia requiritur in commodato, quam in

precario, id erit ex vi legis ita disponentis in commodato, non in precario.

842. Respondebis, esse discrimen; quia in precario potest Dominus repetere, quoties voluerit, non vero in commodato, sed primum post praefixum terminum. Contra. Haec differentia non facit tantum; ut jure naturae exigatur in commodato diligentia, quam homines non solum diligentiores; sed diligentissimi adhibent; in precario vero solum, quam diligentes; quod enim Dominus possit pro libitu repetere rem suam; licet sit utile Domino, non tamen tollit, quod res data precario sit in utilitatem solius accipientis: deinde quod possit repetere; licet sit in utilitatem Domini; hoc solum posset efficere; quod precarium habens non tenetur de culpa levissima; & cur non de levi; ut in deposito; cum sit in utilitatem utriusque?

843. Probatur 2. eadem prima pars antecedentis: qui rem commodatam habet ad mensem, si elapso mense non reddat illam Domino, quia prudenter judicat, illum non esse invitum; tenetur restituere, si culpa levi res pereat; & tamen potest Dominus eam repetere pro libitu; quia solum se obligavit ad mensem; ergo quod Dominus possit rem suam repetere ad libitum; non probat universaliter, ut in precario non statueretur; sed in commodato a legibus ea major diligentia. Unde ex Doctoribus primae sententiae fatentur, si standum esset jure merè naturali, neminem teneri de damno dato in re alterius, nisi ad dolum; vel culpam latam. Ita Molina fatetur, & Lessius &c.

844. Confirmatur. Non est ratio, cui jure naturae teneatur mandatarius ex culpa levi, & levissima; non vero depositarius; nam sicut depositarius accipit depositum in utilitatem solius deponentis, ita mandatarius accipit mandatum in utilitatem mandantis; ergo jure naturae ambo tenerentur ex sola culpa lata, vel si uterque accipit depositum, vel mandatum in sui utilitatem accepto pretio; uterque debet teneri ex sola culpa levi; & tamen leges civiles volunt mandararium teneri de culpa levi, & levissima; L. a Procuratore, & L. in re mandata in fin. Cod. mandati, depositum vero ex lata sola; ergo haec diversitas a solo jure positivo inducta est propter majorem necessitatem cohibendi mandatarios infideles, quam depositarios, non autem jure naturali.

845. Probatur jam secunda pars primi illius antecedentis num. 846. nempe quod jure positivo non sit talis obligatio in foro interno ante Judicis sententiam ex sola culpa juridica, sive lata, sive levi, sive levissima; nam omnes illae leges non aliter significant praedictam obligationem, quam leges aliae significant obligationem solvendi pro noxa, vel pro damnis a brutis illatis; atqui istae leges non obligant in conscientia ante sententiam Judicis, ut dixi supra

suprà; ergo neque illæ. Quare hujusmodi leges sufficientem habent effectum, eò quòd deserviant pro foro externo obligando, ut ipsi Judices juxta illas ferant sententiam, ex qua lata obligentur Rei ad solvendum: quod non solum videtur in praxi receptum pro foro conscientie, sed etiam pro foro externo; quia nunquã petitur restitutio ob culpas leves, & levissimas in foro externo, sed solum ob culpam latam.

848. Probatur Tertia pars ejusdem antecedentis: talis obligatio non est adstruenda sine fundamento; atqui nullum est: quale enim esset, quando ea obligatio à contrahentibus non exprimitur? cum enim contractus hi nec jure naturæ, nec positivo eam secum afferant obligationem, non debent contrahentes censeri eam ultrò sibi imponere; nunquam enim quis censendus est se obligare, nisi de se obligandi voluntate constet: in nostro autem casu non est, unde prudenter constet; aliter eodem modo equaliter constaret in omnibus contractibus, & non solum in aliquibus sine ea expressione voluntatis: atqui ut Adversarii farentur, ea obligatio non constat in omnibus; ergo neque in aliquibus.

849. Objicies 1. suppositis legibus à num. 842. homines intelliguntur saltem virtualiter velle celebrare suos contractus juxta eas; ergo ex pacto tacito obligantur juxta illas ad exhibendam exactam, vel exactiorem, vel exactissimam custodiam respectivè ad varios contractus; hæc enim obligatio restitutionis oritur ex contractu, non autem tibi delicto; quia est ex pacto tacito; ergo &c. Resp. neg. antec. quia homines, si aliud non exprimant, solum se obligant contrahendo ad diligentiam moralem, vel humanam, qualem in rebus suis ponent; quòd est nolle ponere advertenter dolum, aut culpam latam: nemo enim est, qui pignori, vel rei commodatæ, vel conductæ putet majorem ex justitia debere custodiam, quàm Dominus ipse adhibere solet; hoc autem solum est cum humana, & ordinaria diligentia, non autem exquisita custodire: & licet vir ingenuus magis custodiat aliena, quàm sua, & restituat, si etiam per levissimam culpam pereat, non id facit ex obligatione, sed ex gratitudine. Dicitur autem hæc radix ex contractu, & non ex delicto; quia non est ex mero delicto, sed mediata, & radicaliter à contractu descendit.

850. Objicies 2. Æquitas naturalis postulat, ut cum res aliena traditur tibi in tui solius utilitatem, ut in commodato, te obliges ad majorem custodiam, quàm si eam acciperes in utilitatem dantis, atque adeò, ut quando re commodata frueris, hanc æqualitatem saltem intendas, ut velis subire onus restituendi, quando culpa tuã etiam levissimã res pereat; non enim est æquum, ut velis tui commodato sine hoc onere. Resp. neg. antec. in commodato enim ex usu hominum aliquid gratis da-

tur: commodat enim quis amico rem suam nullo pretio, in gratiam solius amici; aliter non esset contractus commodati, sed venditionis: unde non debet esse tanta æqualitas in comodato, quantum requirit objecto; idcirco si quid est inæqualitatis, à comodante conceditur amico: & hoc fert secum contractus commodati, in quo aliquid utilitatis plus habet accipiens, quàm dans. Ex dictis

Fit 1. in commodato, pignore, & reliquis contractibus, qui sunt in solius accipientis utilitatem, requiri majorem diligentiam ad vitandam culpam latam, quàm in aliis; quia in his commodatibus homines diligenter majorem diligentiam adhibent, quàm in aliis; atqui si ea diligentia, quam adhibent diligentes, violeat, committitur culpa lata; ergo &c. Quare nostra sententia faciliè cum prima conciliaretur, si hæc solum vellet aliquem in his contractibus teneri de levi, non quæ formaliter levis, sed materialiter, quatenus negligentia, quæ in aliis contrahentibus esset levis, in his esset gravis etiam in conscientia, & ideo poneret onus restituendi. Cæterum si prima sententia bene expendatur, aliquid plus vult.

Fit 2. non sufficere ad vitandam culpam latam, & peccatum mortale in rebus majoris momenti eam diligentiam, quæ sufficeret in minoribus; si autem aliquis in casibus presentis quæstionis nullam commiserit negligentiam, & Judex ex gravis suæ negligentia falsa præsumptione te condemnat, & cogat ad restitutionem, poteris tibi compensare. Idcirco si res commodata, deposita, vel locata &c. foruitò sine ulla tua culpa pereat, non teneris in conscientia ad restitutionem nec paris, nec totius propter principia hucusque tradita, quidquid dicat Diana part. 2. Tractat. 63. resolut. 10. Excipiuntur tamen tres casus: primò, si pacto te obligasti ad restitutionem, etiam si foruitò pereat, quod pactum licitè potest fieri in gratis commodato &c. non autem quando res locatur jústò pretio; quia tunc hujusmodi onus esset supra pretium justum. Secundo, si sis in mora culpabili restituendi; quia tunc in te incipit titulus injustæ acceptionis. Tertiò, si commodatarius ad alium casum præter voluntatem Domini re accepta utatur; tunc enim ipse dat causam casui foruitò, ut per se patet.

SECTIO III.

De obligatione restituendi ex quasi contractu.

DIximus de culpa, ob quam est restituendum in contractibus: nunc autem de culpa, ob quam restituendum est in officiis, turellis, artibus &c. quæ se habent quasi contractus,